



Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz



DISPUTATIO THEOLOGICA,
CONTRA
NECESSITATEM
BONORUM OPERUM
AD SALUTEM,
HODIERNIS SCHISMATICIS
OPPOSITA,

ET.

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ,
In Almâ Pomeranorum,

PRÆSIDE

DANIELE LAGO,
S. Theol: ibidem D.

EXAMINI PUBLICO SUBJECTA

A

GREGORIO FROBÖSIO,
Wolgastano - Pomer:

Ad diem XIX. Martii horis matutinis,
ANNO M. DC. LIX.



GRYPHISWALDIÆ

Literis Viduæ Jacobi Jegeri Acad. Typographi.

112
Fg



ILLUSTRI REGII PER POMERANIAM
STATUS ET REGIMINIS COLLEGIO,

VIRIS
GENEROSIS, MAGNIFICIS, PRÆNO-
BILISSIMIS, MAXIMEQUE STRENUIS,
D. N. N. N. N.

PRÆSIDII,
CANCELLARIO,
CONSILIARIIS
UNIVERSIS SINGULISQUE
EMINENTISSIMIS.

DOMINIS, MOECENATIBUS, PATRO-
NIS, ET PROMOTORIBUS SUIS GRA-
TIOSISSIMIS.



*Anè in illud proh dolor! reservati sumus
seculum, quo haud minima Christianorum pars de
Bonis satis superbe gloriatur operibus, cum tamen
pauci, imò paucissimi aliquod eorundem τρυφήν
edant. Ut reliqua omnia silentii peplo nunc indol-
vam, plus satis profligatam Misericordiam magnis
hoc Universum implere querelis cernimus, audemus. Quot etenim
ubivis vides CHRISTI templa fame periclitantur? quot nuditate hor-
rent? quot rerum necessariorum inopiâ discruciantur? Sed quis est,
qui ipsis auxiliatricem porrigat manum? quis est, qui illorum gemi-
tus & suspiria exaudiat? quis est, qui JESUM in membris suis
suscipiat, sublevet, sustentet? Rari quippe boni, totidem vix, quot
numero*

numero sunt Thebarum porta, vel devotis ostia Nilii. Potior mortali-
um pars, quam cum Atheis Hypocrita constituunt, haec omnia, tanquam
res nullius momenti, negligunt. Illi quidem, cum posthabito & Natura
& Scriptura lumine, omnia temerario motu fieri autument, non solum
nullis Bonis Operibus incumbunt, verum insuper mala quaeque, ex desti-
natâ malitiâ, imperterriti, patrant. Hi verò, qui licet Christianorû no-
men affectent, nil minus tamen quam Christiani existunt, quando sub
aequi boniq; specie Christiano homine prorsus indigna Christiq; è diame-
tro contraria committunt. O summam impietatem! Sed adhuc alii su-
persunt, qui quidem pro virili Opera Bona sectantur, ratione autem
adducti prorsus inconuenienti, opinione sive meriti, sive meriti, dum
sibi de hisce suis benefactis vitam & salutem aeternam indubitato spon-
dent. *Asi ô frustraneos labores! ô spes fallaces!* Cum enim cruenta
JESU CHRISTI vulnera verâ & constanti fide apprehensa, unicû nobis
adversus inflicta à Cacodemone & carne vulnera, ἀλεξιφάγουαρον præ-
beant, illi hoc ipso nondum contenti sua, stercorea (ut cum Paulo ita lo-
quar) opera, tanto infinita virtutis operi immiscentes, efficiunt, ut non
sua solum opera prorsus disperdant, sed & (quoniam salus illorum à
conditione operum suspenditur) omnem in Salvatorem fiduciam amit-
tant, inq; aeternos cruciatus precipites sese agant. De hoc themate,
quia in subsequentiis paginis, pro tenuitate ingenii mei, nonnihil
publicè ventilandum suscepit, Vos VIRI Generosi, Magnifici
Nobilissimi, maximeq; Strenui, Vos, inquam, Disputationis hujus
Patronos eligere volui. Mos enim ille passim frequentatur, ut Musarum
litationes us fiant, qui in Reipublica Regiminisq; custodia, tanquam
speculâ, sunt constituti, & ab ipso DEO Ecclesiae Nutricii appellati, ut Ec-
clesiam adversus mundi Tyrannidem defendant, illamq; sub protectio-
ne suâ alant & augeant, nec non imbelles Musas, maxime verò illorum,
qui literis Divinis operam dant, studia, suo presidio & adjumento ad
summi DEI gloriam, totiusq; Ecclesiae emolumentum, provebant & pro-
moveant. Itaq; & Ego VOBIS, Patrie meae Patres, quos in studiose
juventutis salutem natos reor, exigua hujus meae Disputationis Patro-

mos

nos delegi; tum ut huic scripto plus splendoris à V.V.V.V. Gen.
Nobilit. conciliaretur, tum ut publicum aliquod erga V.V.V.V.
Generos. Nobilit. observantia & devotionis mea extaret testimo-
nium. Accedit & hoc, quod Parens meus sese per multos annos S.
Reg. Maj. Domini nostri clementissimi, Vestrarumq; Ge-
neros. Nobilitatum, in citerioris Pomerania ducasterio, fidelissimum
obedientissimumq; praeberit ministrum, imò per DEI gratiam adhuc
praebeat. Quare nefas duxi V.V.V.V. Generos. Nobilit. lice-
haud in rebus politicis, tamen in divinis, me totum non mancipare, fir-
missimâ hâc spe fretus, Vos non solum chartaceum hoc meum (quod
humilima manu V.V.V.V. Generos. Nobilit. offero) munuscu-
lum in vestram clientelam inclytâ gratiâ recepturos, verum etiam meis
studiis imposterum omnem favoris benevolentiaq; auram adspiraturos
esse. Id sicuti V.V.V.V. Generos. Nobilit. pro insitâ Gene-
rosâ virtute, inclytâq; magnificentia, prestare in proclivi est: Ita & ego
V.V.V.V. Generos. Nobilit. immortalẽ decantare gloriam
reciproca lege tenebor. De cetero DEUM Opt. Max, supplex oro, ut
V.V.V.V. Generos. Nobilit. Columnas illas hujus Regionis,
salvas & incolumẽs conservet, easq; omni benedictionum genere, pra-
sertim autem sancto sui verbi deposito, pace & tranquillitate publicâ
privatâq; felici hujus Regionis incremento, reliquisq; omnibus fortuna-
muneribus, quae V.V.V.V. Generos. Nobilit. totiq; posteritati
conducant, beare & cumulare non dedignetur!

Illustribus VVVV^{ris} GGGG^{bus}

Ab humillimis ac devotissimis precum &
obsequiorum servitiis

GREGORIUS FROBÖSE,
Wolgast - Pomer.



*N*sonat etiamnum auribus nostris Apostolica *ὑπερέβου* Roman. XVI, 17. Observate eos, qui disensiones & offendicula, præter doctrinã, quam vos didicistis, excitant, & declinate ab illis. Cujus *ἐπιτολογία* extat II. Tim. II, 17. quod sermo eorum instar gangrenæ

serpat, & vires subinde novas acquirit eundo. Eidem enim illi voto probo dolor! longè majorem faciunt, recentiorum Schismatum Autores, qui tantã partim errorum pridem damnatorum, partim novitatum lernã & Iliade, Ecclesiæ concordiam annis superioribus turbaverunt, ut omne propemodum corpus & Systema Theologicum inquinamentis suis sordidarint. Nos, misis in presenti erroribus cæteris, ventilandam breviter, *ὅν θεῶν*, suscipiemus questionem de Necessitate Bonorum Operum ad salutem; idq; hæc methodo, ut I. recenseamus Certamina. II. Accuratè formetur Controversiæ status, annotatis ab hoc alienis objectionibus. III. Orthodoxiam nostram probemus ex ipsâ Articuli sede. IV. Denique Responsonem subjiciamus unam atque alteram ad residua Adversariorum argumenta generalia.

§. I. CERTAMINA.

DE Necessitate Bonorum Operum, uti satis sunt antiqua, sic originem primam PseudApostolis, h.e. Religionis Christianæ mysteriis recens initiatis Pharisæis, debent, omni virium contentione asseverantibus oportere servari legem Moysis *εἰς τὸ σωθῆναι*, Act. XV, 1. Sed refutatis consono conspiratu Augustissimi Senatûs Apostolici in Concilio Hierosolymitano, hæc conclusio: v. 11. Credimus per gratiam DOMINI JESU CHRISTI nos salvatum iri, perinde ac Patres nostros.

§. II. Seculo superiori suffragii calculum adjecerunt Zwingliani.

A

ni.

ni. Cum enim anno supra millesimum quingentesimum trigesimo, die 25. Junii, Confessio *ἑνωσις* Augustana exhibita à Nostratibus suis-
set, interjecto integri Mensis spatio, suam demum protulit Zwin-
glius, in quâ hæc profatur: Nolumus autem hæc (de gratuitâ justi-
ficatione per fidem) sic intelligi, quasi salutem & justitiam in fide cha-
ritate destitutâ, quam informem vocant, ponamus. Quandoquidem
certi sumus, neminem justum aut salvum fieri, nisi amet summè DE-
UM, & imitetur studiosissimè.

§. III. *Ἐπιψήφως* Beza part. 1. Resp. & qu. Volum. 1. Operum.
fol. 675. scribit: Bona opera ad salutem necessaria esse, ut quiddam
cum verâ fide necessariò conjunctum: & Zanch. lib 5. de Nat. DEI.
cap. 2. Non simpliciter negamus, bona opera esse causam salutis, nem-
pe instrumentalem potiùs, quàm efficientem; & ut causam, quam
vocant, sine quâ non. Item: Bona opera, causa sunt instrumenta-
lis possessionis vitæ æternæ; per hæc enim, tanquam per media &
legitimam viam, ducit nos DEUS in possessionem vitæ æternæ. Nes-
non Sohnius Tom. 2. Exeg. in Aug. Conf. art. 4. Fides est tanquam
instrumentum ad justitiam in hac vitâ, confessio autem, tanquam
medium ad salutem, post hanc vitam consequendam. Conf. Gry-
næus in Diss. de Scala à terrâ ad cælum pertingente, th. 29. & Pesca-
tor in Analys. cap. 1. in Eph. v. 4. ut & cap. 3. ad Tit. v. 5. Ipsaq; Bi-
blia Tigurina, Anno 97. edita hoc loco.

§. IV. A quibus tamen dissentit Pelargus iam Apostata, in
Compendio Theol. quod Anno 17. publici juris fecit p. 301. Suntne
bona opera, quærens, ad salutem necessaria? Et respondens, Minimè.
Salus enim gratuitò donatur nobis, per & propter solius CHRISTI
meritū, sicut vita æterna Donum DEI appellatur, per CHRISTUM
JESUM DOMINUM nostrum, & disertè Paulus, non operibus,
sed gratiæ divinæ adscribit salutem. Conf. ejusdem Dissut. de variis
fidei Articulis. num. XII.

§. V. Cæterùm arrisit quoque opinio Zwinglii Anabaptistis
nonnullis, licet fiduciam in operibus collocari noluerint. Vnde Mo-
nasterienses, Joh Bockelius, Klaus Storch/ & Antyperdolling/ in lo-
cum hujus propositionis: Daß der Glaub seelig mache ohne gute
Wercke: Substituerunt aliam: Daß der Glaube seelig mache/ aber
nicht ohne die guten Wercke: Refutati à Luthero Tom. 2. Witt.

§. VI.

§. VI. Schwenckfeldius itidem deliravit, non fide solâ, propter Filium Mediatorem, sed per fidem simul & opera bona nos ingredi oportere vitam. In tract. de abusu Evang.

§. VII. Ab hac ὑπεροχῇ recedentes ad ἔδειξιν, superstitie adhuc Luthero, inter Anabaptistas Antinomi s. Libertini (in varias enim partes secta hæc scinditur, ita ut alii appellari aveant Apostolici, quod more Apostolorum vitæ rationem inire, docere & peregrinari satagent: Alii Spirituales, quod omnem hilaritatem detestentur: Alii Tacentes, quod de Religione interrogati, linguam silentio alligent, nec conciones admittant: Alii Orantes, quod semper precationem peragant: Alii Enthusiastæ, quod visiones singulares jactent: Alii Adamitæ, quod se nudos universo sequioris sexûs cœtui sistant, & carnis pruritu se non exerente, de dono perfectionis gloriantur: Alii Memnonistæ; quod Memnonem sectati, nocturnos conventus celebrent: Alii A. B. C. Darii, quod literas callere nolint: Alii Fratres charitatis, quod pretium divendarum mercium emptoris arbitrio committant: Alii denique Libertini, quod licere sibi arbitrentur, quicquid libet) quos furiosos idem & phreneticos nuncupat, sinxerunt eos, qui semel acceperunt fidem, remissionem peccatorum & Spiritum S. ut ut in peccata contra conscientiam postea despumarent, nihilominus retinere constantiam fidei; nec talia peccata detrimenti quicquam asserre, his eructatis τρεβλοζίας: Thue was du wilt / gläubestu / so ist alles nichts: Der Glaube vertilget alle Sünde. Wir geben alle unsere gute Werke umb einen Groschen. Vid. Luth. Tom. 2. Witt. Germ. Quâ in parte secuti fuerunt Simonem Magum, qui salutem definivit per liberationem ab eâ servitute, quâ homines, ex præscripto Legis, ad certa opera obligantur, nec permittuntur agere, quæ velint. Aug: de heresi ad Quodvult. DEVM c. 1. de Sim. Mag. Theodor. lib. 1. heret.

§. VIII. Post obitum Lutheri quidam propositionem: Bona opera sunt renatis necessaria; execrabantur dogma absurdum, perniciosum, impium, carnificinam conscientiarum, pronunciatum improprium, nothum, adulterinum, scandalosum, exitiosum conscientis piorum, impium & blasphemum in meritum mortis & passionis, C H R I S T I. Nec verebantur accusare Augustanam Confessionem, quod ejus Autores rationem habuissent præsentis temporis, non providentes futura ἀναλόγη & ἀτοπα: indeq; factum perhibebant, ut

propositiones impie & perniciose irrepserint. Imò multis Concionatoribus, aliàs Orthodoxis, exciderunt incommodæ illæ locutiones: Der Glaube mag keine gute Werke bey sich vertragen: Es ist nichts mit unsern guten Wercken: Sie sollen nichts: Sie stincken vor Gott; Er wil ihrer nicht. Quos reprehendit Urbanus Regius in libello de Form. cautè & citra scandalum loquendi. Donec tandem perniciose prorsus ad salutem opera bona proclamavit Nicolaus Amstdorffius, Nobilis Misnicus, Theologus primò Magdeburgensis, deinde ad Episcopatum Naumburgensem, quem petebat Julius Pflugius, electus, & ab ipso Luthero inauguratus, cujus Tomis præfationem præmisit.

§. IX. Anno 48. seculi superioris Carolus V. in armatis Comitibus Augustanis, librum consui curaverat Interreligionis, operâ prædicti Julii Pflugii, Michaelis Sidonii, Chorepiscopi primò Moguntini, tandem Episcopi Magdeburgensis, & Johannis Agricolæ, Concionatoris Brandenburgensis, quem inscripserunt INTERIM. (Welches hatte den Schaleck hinter ihm/ ut erat in ἡσίοις Lutheranorum adagio) seu declarationem Religionis, σὺν ᾠκισμῶν quidem in multis cum Orthodoxyâ nostrâ præ se ferentem, sed in plerisque tamen capitibus nil nisi compendium aliquod exhibentem Concilii Tridentini. Ut verissimè Thuanus memoret l. 5. Hist. Capita complectebatur receptæ hactenus (Pontificiæ) religioni prorsus consentientia, nisi quod Sacerdotum conjugium non penitus damnabat, nec carnis & sanguinis CHRISTI sub utrâque specie communionem omninò rejiciebat, sed utrumque esse tolerandum proponebat, donec de totâ re, ex Concilii sententiâ, decerneretur. Hoc σφρυγῶδες scripti monstrum inter alia id etiam obrrudebat dogma: Bona opera esse necessaria ad salutem, in loco de Bon. Oper. hæc verborum serie: Quod reliquum est, etsi opera à DEO mandata, ut necessaria ad salutem, sint præcipuè urgenda, juxta illud CHRISTI: Si vis in vitam ingredi, serva mandata: Quæ tamen præceptis superaddita, aut piè aut honestè suscipiuntur, ipsa etiam commendanda sunt. Et iterum: Aus diesem grossen Gottes Geschenck stuessen/ wie auß einem Brunnen/ alle gute Werke/ die so nöhtig seyn einem jeden Gerechtfertigten zur Seeligkeit / daß / wo er sie nicht thut/ da er soll/ so verleuret er die Gnade Gottes/ und wird als ein unnützer Rebe außgeschnitten / &c.

§. X

§. X. Nimirum cum doctrinam, de gratuita justificatione propter solius CHRISTI meritum verâ fide apprehensum, solidioribus longè Scripturæ fundamentis niti, sagaciores Papæ alumni perspicerent, quàm quæ aperto Marte arietari, unoq; spiritu disflari, & piorum animis eripi queat, cuniculos ad arcem veritatis cœlestis agendos censuerunt, hâc phrasi: Bona opera sunt necessaria ad salutem: quod per facile foret ad ariolandum, receptâ semel eâ propositione, suapte sponte secuturam esse ruinam articuli de gratuita reconciliatione, soli fidei vindicatâ. Hinc Vicelius: Peccatorem, qui omnibus bonis operibus destituitur, justificari quidem sine operibus, solâ fide, gratis, propter CHRISTUM: sed aliam esse quæstionem de salute, & vitâ æternâ. Justificatos enim non salvari sine operibus, solâ fide, sed justificatis ad salutem etiam necessaria esse bona opera. Cumq; Orthodoxorum nonnulli, qui metu impendentium periculorum terre facti, aliquid humani patiebantur, ut repudiare simpliciter librum Interimisticum non auderent, eandem in sententiam descendissent, (Theologos puto Misnenses in Actis Synodicis explicationem libri Interim Statibus & Ordinibus ejus provinciæ offerentes, qui p. 148. ita loquuntur: Verissimum est, has virtutes, Fidem, Dilectionem, Spem, & alias, ad salutem esse necessarias) gratulati sibi vehementer Pontificii fuerunt, & spe latâ sustentati, brevi futurum, ut ad gremium Ecclesiæ Pontificiæ redirent. Vid. Colloq. Altenb. fol. 170. Imò gratulatus est ipsi Philippo Melanchtoni, de felici palinodiâ, quod de Necessitate Operum Bonorum ad salutem, dissimiles usurparet phrasas, Lindanus Panopl. l. 3. c. 16. & 20. Etsi Philippus, postquam aliquantisper in actionibus Interimisticis vacillasset, temporiq; & cœnæ inservivisset, deinde, hortante conscientia, & invictâ veritatis, ad se redierit, & commaſculatâ rursus fronte, Majoristicum somnium apertè damnaverit; quia obscuret Evangelicam consolationem. Tom. 4. f. 811. Conf. Refutationem præfationis Majoristicæ adornatam à B. Morlino. Respondit verò expectationi Pontificiorum eventus in Stephano Agricola, Diœceseos Mansfeld. Presbytero, οὐχ ἔβρω Majoris. Hic enim cum in Catechismo suo Interimistico aliisq; scriptis, à partibus Majoris steterisset, eâq; occasione, primùm in Julii Pflugii, deinde Episcopi Augustani familiaritatem & favorem se ingessisset, tandem eò dementiæ progressus est, ut Romæ in solenni & thea-

cylicâ pompâ Religionem Lutheranam ejuraverit: obsepto autem itinere ad dignitatem voto parem, ultimum editurus suorum Bonorum Operum Specimen, se in mare Adriaticum præcipitem egerit. Quid? quod etiamnum non postremum, contra Justificationem solius fidei, argumentum Papistæ, à necessitate Operum Bonorum ad salutem, petant.

§. XI. Porro inter reliquos Augustanæ Confessionis socios ἐπιπορευόντων, agmen duxerunt Georgius Major, Noribergensis, unus ex Wittebergensibus Theologis Adiaphoricis, Vir aliàs celebris scriptis variis, Commentario in omnes Epistolas Pauli, Evangelia quoque & Epistolas Dominicales, libro de Trinit. Justificatione, verbo divino & Ecclesiæ Doctoribus; quiq; in Colloquio Ratisbonensi fidelium ἀγασθέντων, in propugnandâ Evangelicâ veritate, se præstitit: Et Andreas Musculus, Profess. Francofurtensis & Marchiæ Superintendens Generalis, è compendio Doctrinæ Christianæ, & Tractatu contra necessitatem Physicæ locationis in corpore CHRISTI glorioso, notus. Majoris videlicet vox fuit in lib. contra Amsd. lit. C. I. & II. Hoc verè fateor, me antea docuisse, adhuc docere, & toto vitæ meæ tempore sic docturum esse: Quod Bona Opera sint necessaria ad salutem: quod etiam nemo unquam sine Bonis Operibus sit salvatus: quod denique impossibile sit, quenquam sine Bonis Operibus servari. Quare, si quis aliter docet, etiamsi sit Angelus de cœlo, ille sit anathema. Confer. Serm. de Convers. Pauli lit. E. IV. Dispositio Epist. ad Rom. p. 54. part. 4. homil. pag. 7. 37. 40. & c. Quamvis spiritu vertiginis rotatus, contradictione enormi subinde se irretiat, jam contendens: Opera antecurrentia articulum Justificationis, necessaria ad salutem esse: Jam: Bona opera, in Articulo Justificationis, suâ præsentia concurrere, ita, ut necessitate quâdam, ibi præsentia esse debeant: Jam: Bona opera sequentia justificationem & fidem, necessaria esse ad salutem. Et quomodo in gratiam redibit cum verbis modò citatis, ista antilogia: Daß ich diese Worte: Gute Werke seyn den Gläubigen zur Seeligkeit nöthig / mein lebenslang weder in meinen Lektionen, Predigten / oder Schriften nicht gebraucht / beruffe ich mich auff alle die ientgen / so meine Lektionen und Predigten hören / und Schriften gelesen. In Confess. Anno 1558. edita, B. F. 1. c. 2. Ita cum in lib. de Conv. Pauli. lit. E. testetur se dogma suum è scripto theologorum, qui Misena, propter Interimisticum librum anno 1548.

congre-

congregati fuerunt, sumpsisse, nihilominus certamen hoc ab adversariis suis motum fuisse, conqueritur: se autem, ne latum unguem à doctrinâ Lutheri discessisse, in Præf. homilit. Eaang. Domin. præmissâ anno 1562. Optimum tamen, quod tam Major denique, quàm Andreas Musculus, phrasin hanc: Bona opera sunt necessaria ad salutem, rejecerit: & Musculus quidem, ipsâ subscriptione Formulae Concordiæ, errorem priscum apertissimè agnoverit.

§. XII. Opposuerunt autem se phrasi Majoristicæ, Matthæus Judex, Joachimus Westphalus, Johannes Wigandus, Theologi Argentoratenses, Ulmenses, Noribergenses, Lubecenses, Rostochienses, Lunæburgenses, Wismarienses, Stralsundenses, quos prolixè citat Schlüsselb. Tom. 7. Catal. Hæret. Wittebergensibus, ejus temporis aded ad incitas reductis, ut pudori habuerint, in hanc phrasin tacitè consensisse. Quare anno 1552. librum Apologeticum ediderunt, ad requisitionem statuum provincialium, cui titulum fecerunt: Gründliche Ablehnung / daß die Wittenbergische Theologi zur Einführung des Interims nicht geholffen haben.

§. XIII. Anno 1568. Propositio hæc integris sex mensibus à die 20. Octobr. ad 10. Martii, inter decem Consiliarios Theologosq; Electorales, & totidem Consiliarios atque Theologos Johannis Wilhelmi, Ducis Saxonie, Altenburgi, sub disquisitionis incudem revocata est, Electoralibus severo vultu professis: se & meritum omne, & causam omnem, & medium omne, & instrumentum omne, & officium omne, sive accipiendi, sive apprehendendi, seu consequendi salutem, operibus, eorumq; necessitati, planè & in totum derogare, solam necessitatem præsentis cum fide requirere: A justificatione se excludere non saltem opera externa, verum etiam interna: postulare tantum illa ad plenam æternæ beatitudinis perceptionem: præsentiam Bonorum Operum opponi tantum negligentis pietatis: Solam intelligi necessitatem connexi, vi mandati divini, & hoc fine, ut vita æterna acquiratur: vel, ut sequatur salus æterna: improbari duntaxat propositionem contradictoriam: Bona opera non sunt necessaria ad salutem: Quia hæc impietati bipatentes fores aperiat, & majori cum noxâ scandaloq; conjuncta sit: Seipsos nec usos fuisse unquam locutionis ista ideâ, nec usuros imposterum; solam deprecari condemnationem absolutam in Philippo, aliisq; præclarorum meritorum gloriâ erga
Eccle-

Ecclesiam fulgentibus Viris, Bugenhagio, Crucigero, Matthesio, Menio, Majore, Ebero, communibus Germaniæ Præceptoribus, nunc præcæsitatis, quibus palmam minimè ambigam redderent Antagonista, Flacius, Wigandus, Chytræus, Cælestinus, Irenæus, Rosinus, & similes: Sensum, non verba spectanda esse: cum non in verbis, sed in sensu sita sit hæresis, dicente docenteq; Hiéronymo, &c. Ast irritò conatu, idq; eam ob causam, quod ad imbuendum animum erroneâ opinione, phrasis controversa per se propendeat: siquidem in Ecclesiâ strenuè tueri *ἑκαστὸν ἑαυτοῦ ὑγιαίνοντων λόγων*, neque tantum rectè sentire, sed è præscripto etiam cautè loqui, concordie cultura jubeat.

§. XIV. Anno 74. seculo superiori ratam habuit condemnationem phræseos Majoristicæ, Formula Christianæ Concordiæ; Art. 4. hoc verborum tenore: Diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera, articulo Justificationis & salutis nostræ immisceantur. Propterea meritò hæ propositiones rejiciuntur: Bona opera fidelibus necessaria esse ad salutem: Ita, ut impossibile sit, sine Bonis Operibus salvari: Quia simpliciter pugnant cum doctrinâ de particulis exclusivis in Articulo Justificationis & salvationis: Quibus particulis Divus Paulus opera & merita nostra, ab Articulo Justificationis & salutis nostræ, penitus exclusit, & omnia soli gratiæ atque clementiæ divinæ & CHRISTI merito adscripsit. Plures corporum doctrinæ & integrarum Ecclesiarum Confessiones, eundem in sensum sonantes, videantur apud B. Schlüsselb. Tom. 7. Catal. Hæret. & apud Reverendum Dn. Lautenschläger in Diss. publ. Anno 49. sub præsidio Magni Hülsemanni Lipsiæ habita Aphor. 4.

§. XV. Recruduit nihilominus, aliquot ab hinc annis, schisma hoc, dignissimum, quod æternâ oblivione suisset deletum, culpâ nuperrorum Novatorum. Sic enim Nonnemo Theologiæ Moralis pag. 3. & 4. **MEDIUM, A QUO CONSEQUITUR FINIS** Theologiæ moralis, ultimi, qui est salus & beatitudo æterna; intermedi, qui est conservatio fidei, **PENDET**, est sanctitas vitæ, posita in actionibus, Legi & voluntati divinæ conformibus. Conf. E. Antwort auff's Muster. Num. 44. Dissert. de Peccato, Apolog. contra Buscherum. Dedicatio seiner Wiederlegung. Licet in ipsâ refutatione ineptam comminiscatur distinctionem inter *Id Gutes thun / vel Gutes Gebott halten:*
G r

Et dicitur quod bene thuren / additâ protestatione ; se phrasin, Gute Werke sind nöthig zur Seeligkeit ; nunquam adhibuisse, nec adhibiturum esse, Num. 23. quam repetit num. 28. Quoniam terminus : Bona opera æquivocatione, de quâ fortè alibi monendum, labore. Studium pietatis, declinare à malo, & facere bonum, necessarium esse ad salutem : si non aliter, certè ut causam, sine quâ non, vel, quæ removet id, quod hominem salute esset privaturum. Quasi id facere bonum, studium pietatis & sanctitatis, & observatio mandatorum divinorum, non accenseri amplius Bonis operibus mereatur.

§. XVI. Suffragatur Alter iteratæ assert. §. 54. Quod est medium, ex naturâ tantum necessarium, sine quo peccatoribus à DEO nihil donari, vel, quod gratis datum est, usui illis esse potest, illud est necessarium ad omnia dona, quæ DEUS donat, accipienda. Ast talis est poenitentia, cum quis desistit à malo, & facit bonum. Ergo poenitentia illa, ad omnia, quæ DEUS donat, accipienda, est necessaria. Et §. 99. cum dicitur : Bona opera, ratione ordinis & præsentia, ac præcedentia, necessaria esse ad salutem, non intelligitur ordo naturalis, sed moralis : nec ut præsentia sint aut præcedant Physicè, sed moraliter. Hoc autem si non causa vera, & meritum est, tantum causa sine quâ non est, & conditio. Item : Finis & effectus Bonorum Operum est, consecutio salutis æternæ, Num. 191.

§. XVII. Admonitionum protela, à niveo pectore aliorum Theologorum, Wittebergenſium præcipuè & Lipsienſium, profecta, suq; deq; habuerunt, & anteposita præconcepti erroris pertinaciâ, sub prætextu supràdictæ, ægritudini cuidam animi, aut corporis, adeoq; illorum authoribus non adeò sanum synciput, malitiosè imputaverunt, negantes perfrictâ fronte, uspiam vel à Formulâ Concordiæ, vel à Corpore Julio, Bona Opera salvatione excludi : ut causam sine quâ non, vel medium, ad salutem consequendam, necessarium. Videatur Autor der Wiederlegung. num. 60. 61. contra clarissima testimonia, in hisce libris Symbolicis, non uno loco, obvia. Ut in ipsos maximè quadret, quod scribit B. Hutterus, in explicatione Loc. 4. Formul. Concord. Phreneticum quid passi (Majoristæ) ineptè admodum fingeant, se phrasas hasce non intelligere de Justificatione, sed de salute eorum, qui jam per fidem justificati sunt. Neque ad Justificationem, sed ad salutem Bona Opera esse necessaria.

B

§. XVIII.

§. XVIII. *Immunem tamen à societate hujus erroris D. Dre-
jerum pronunciat, Incomparabilis Dn. D. Hülsemannus, in Calixti-
nischen Gewissens Wurm. p. 794. Schließlichen ist gleichwol bey
dieser Calixtinischen Leichtfertigkeit zu mercken/ daß/ ob er wol son-
sten in andern Stücken D. Christian Drejern zu Königsberg sehr
verführet hat/ es dennoch D. Dreier/ in diesem Stück/ was die Ver-
leugnung oder auch die Verschweigung des Artickels / daß der Glau-
be allein / und nicht zugleich mit und neben den guten Wercken / ge-
recht und seelig mache/ mit Calixto nicht halte / sondern ihm zu wider-
lehre / in Erörterung etlicher schweren Theologischen Fragen. Et si
enim duplicem sensum recenseat phraseos: Bona Opera sunt necessa-
ria ad salutem, p. 548. seqq. tandem nihilominus concludit: Illam,
ceu semel in Formulâ Concordiæ Christianæ explosam, & extra Eccle-
siæ Orthodoxæ fines prosriptam, non esse postliminiò restituendam,
pag. 562.*

§. XIX. **STATUM CONTROVERSIÆ**
quod concernit, εὐδηλον & ἀναμφισβήτητον (1) obligatum teneri
unumquemque salutis æternæ candidatum, mandato & ordinatione
Divinâ, ad studium Bonorum Operum. Ut falsissimè quiritentur No-
vatores, se odium incurrisse γνησίως Lutheranorum, præter Aristote-
licæ Philosophiæ, primævæ Antiquitatis Ecclesiasticæ & Concordiæ cul-
turam, etiam ob studium pietatis in Epist. ad Illustriss. Ducem Aug.
Anno 49. die 20. Aprilis perscriptâ: cum invidere aliis pietatis stu-
dium, odisse eos, propter mandatorum DEI observantiam, tantun-
dem sit, quod ex malitiâ Diabolis propriâ, DEO competentem glo-
riam, hominibus animæ salutem invidere, judice Magno Hülseman-
no, Dialys p. 66. (2) Naufragium & jacturam fidei salvificæ con-
trahi, per opera mala, sive peccata. (3) Necessaria ad salutem rectè
asserri, opera divina sacri ministerii. (4) Necessaria insuper esse ope-
ra humana ad salutem homini salvando, juxta promissiones legales.
Quæritur autem: An opera moraliter bona, seu divinitus in Deca-
logo præcepta & præscripta, ut talia, necessaria sint ad salutem, si non
ratione meriti, tanquam causa, propriè sic dicta, tamen tanquam me-
dium aliquod, s. causa sine quâ non, & adjunctum hominis salvandi,
juxta promissionem Evangelii, ex quo sola salus nobis actu obtingit?
Affirmant, cum Hæreticis variis, hodierni Schismatici: Negant ὄντως
Luthe-

Lutherani & Catholici, cum Luthero, non saltem in Disputatione so-
 lenni Anno 1537. Calend. Junii Witebergæ habitâ, ubi hæc leguntur :
 Dicere, Opera esse necessaria ad salutem, est dicere, quod CHRIS-
 TUS sit Salvator inchoatione, non perfectione : est tribuere CHRIS-
 TUM requirere ad Justificationem, tanquam minimam causam. Ca-
 vete vobis ab istis argumentis, quia hoc fit inde, quod CHRISTUS
 amplius nunc non sit Salvator, sed spoliatur suo honore, quod non
 fecerit nos justos suâ morte, cum ipsi nostris operibus vitam æternam
 possimus impetrare : Verùm quàm plurimis etiam locis aliis. 1. Tom.
 Witeberg. pag. 72. 74. Tom. 4. lat. p. 41. Tom. 6. p. 131. Tom. 3. p. 19.
 It. 166. 359 Tom. 2. p. 124. 4. Tom. lat. p. 47. 49. in Postill. Eccles.
 Dominic. 3. Trinit. 1. Tom. Wittenberg. p. 27. 28. 46. 4. Tom. lat.
 p. 41. Tom. 1. Witeb. p. 121. 177. 710 Tom. 6. p. 43. Tom. 7. Fol. 277.
 Tom. 4. Lat. p. 151. in Post. Eccles. im Sommerheil. p. 46. 7. Tom.
 p. 278. Tom. 6. p. 43. 44. Tom. 5. p. 160. Tom. 6. p. 439. 438. 2. Tom.
 p. 272. Tom. 3. p. 373. Ibid. 387. in Diss. de Operibus Legis & gratiæ
 Anno 1536. Argum. 3. Tom. 8. p. 131. 132. Tom. 4. lat. p. 24. in Post. Ec-
 cles. p. 191. Dom. 3. Trinit. &c.

§. XX. Atque hujus ἸντύμαλⓄ si probe observerur rùm sub-
 jectum, rùm prædicatum, nemo non præter Tiræsiam perspiciet, scopum
 penitus prætervolare, plerasq; Adversariorum objectiones. Nimirum
 ἰδὲν τῶν εἰς ἡμᾶς faciunt Oracula, quæcunque vel describunt indolem
 geniumq; subjecti salvandi : vel ostendunt utilitatem crucis ac pas-
 sionum, hominibus salvandis hæc in vitâ subeundarum : vel depingunt
 conditionem salvificæ fidei : vel agunt de operibus Salvatoris DEI :
 vel continent promissiones legales : vel denique necessitatem quidem
 aliquam Operibus Bonis vendicant, sed sine controverso addidamento :
 ad salutem.

§. XXI. Describunt qualitatem ac indolem subjecti salvandi,
 quæ extant Matth. V, 3. VII, 21. XIX, 29. XXV, 34. Job. V, 28. Rom.
 II, 7. 10. VIII, 12. II. Corinth. V, 10. Eph. I, 4. II, 10. Phil. II, 12. III, 14.
 I. Tim. VI, 17. II. Pet. I, 4. 10. Jas. I, 25. &c.

§. XXII. Matth. V, 3. Beati qui lugent, quoniam ipsi confo-
 labuntur, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, Beati qui
 esuriunt, & sitiunt justiciam, quoniam ipsi saturabuntur, Beati mi-

sericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt DOMINUM. Beati pacifici, quoniam ipsi Filii DEI vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: promittitur Beatitudo illis, qui sunt pauperes spiritu, qui lugent, qui sunt mites, &c. Non autem ideò, quia sunt tales, quia pauperes spiritu, quia lugentes, quia mites: aut eatenus, quatenus tales, quatenus pauperes, quatenus lugentes: Atque aded nulla exprimitur causa, vel etiam causale medium, obtinendæ aut applicandæ beatitudinis, ut loquitur super hunc Textum B. Chemnitius.

§. XXIII. Matth. VII, 21. Non omnis, qui dicit mihi: DOMINE, DOMINE, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; Docetur quidem, quinam & qualis ingressurus sit regnum cœleste: medium autem, per quod ingressus nobis hic patet, non additur, sed ostenditur alibi.

§. XXIV. Matth. XIX, 29. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, vel patrem, vel matrem, vel uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: Pollicetur itidem Salvator vitæ æternæ hereditatem, huic, qui reliquerit domum, fratres, sorores, Patrem, Matrem, propter nomen ejus, non quia, vel quatenus relinquit mundana singula, & rebus divinis postponit, sed tanquam ordinis, divinitus de hominibus ad salutem perducendis constituti, observantiori, & egregios salvificæ fidei fructus proferenti.

§. XXV. Matth. XXV, 34. Venite Benedicti, κληρονομήσατε paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Sitivi, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me; Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Regni cœlestis κληρονομία adjudicatur illis, qui egeno in membris suis Salvatori charitatis fraternæ officia præstiterunt: sed ut κληρονομία, & quidem ab exordio mundi parata, nullo Bonorum Operum interventu obtinenda, Rom. IX, 11. Cum nondum nati fuissent pueri, aut aliquid boni egissent vel mali, ut secundum electionem DEI propositam maneret: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Major serviet minori. Gal. III, 18. Si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem, per

per promissionem donavit DEUS. Quamvis in justissimam pœnam, condemnationem æternam promereatur, operum bonorum omisio. & commissio malorum: Ut particula δ hic explicanda sit non $\alpha\iota\tau\iota\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\kappa\omega\varsigma$, sed saltem $\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$, ad patefaciendam præcedentiam solius ordinis. Quomodo usurpatur Matth. XVI, 2. $\epsilon\upsilon\delta\iota\alpha$, $\pi\upsilon\rho\rho\acute{\omicron}\zeta\eta$ δ δ $\epsilon\pi\epsilon\gamma\upsilon\omicron\varsigma$. Vbi nullum designari futuræ serenitatis $\alpha\iota\iota\omicron\nu\omicron\nu$, sed nudū $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\omicron\nu$, in aprico positum est. Conf. Matth. I, 21. 22. cap. XXVII, 35. Joh. IX, 39. cap. XII, 37. 38. 1. Tim. I, 13.

§. XXVI. Joh. V, 27. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Hominis. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: Rursus non tractatur de causâ salutis & vitæ æternæ, quam supra exposuit Salvator, ubi dixit: Qui audit sermonem meum, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Sed quia in resurrectione iudicium visibiliter & sensibiliter coram toto mundo celebrabitur, ideò externa nota electos à reprobis discernit: Sicuti ex fructibus arbor, qualis sit, ostenditur. Matth. VII, 21. Quia igitur fidei justificanti semper conjunctum est propositum, seu studium benè agendi, iis autem, qui sine CHRISTO sunt, omnia, quæcunque agunt, peccata sunt, & sine fide impossibile est aliquid DEO placere: ideò has duas notas sumit: Qui bona egerunt, resurgent ad vitam, qui mala egerunt, ad iudicium, inquit Chemn. in Har. E. cap. 46.

§. XXVII. Rom. II, 7. DEUS reddet cuique secundum opera ejus, iis, qui secundum perseverantiam Operis Boni, gloriam & honorem, & corruptionem quærunt, vitam æternam. Tribuitur iterum vita æterna non operibus, vel perseverantiæ, sed quærentibus istam $\kappa\alpha\iota$ $\epsilon\upsilon\sigma\tau\omicron\mu\omicron\nu\eta\nu$, perseveranter, sicuti v. 10. promittitur gloria, honor & pax, omni operanti bonum, Judæo pariter & Græco, non operibus ipsis, tanquam mediis, ad consequendum honorem, necessariis.

§. XXVIII. Rom. VIII, 13. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis: & II. Corint. V, 18. Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal CHRISTI. ut referat unusquisque, prout gessit, sive bonum, sive malum: Nihil innuitur, præter qualitatem hominum salvandorum & consecutionem salutis post horum manifestationem coram Tribunali CHRISTI, atque antegressa opera; nec non congruentiam quandam inter Opera Bona, & præmium vitæ æternæ.

§. XXIX. Eph. I, 4. Elegit nos (DEUS) ante constitutionem
mundi, ut essemus Sancti & immaculati, in conspectu ejus in charita-
te, ut & II. 10. Ipsius sumus factura, creati in CHRISTO JESU ad
Bona opera, qua DEUS præparavit, ut in illis ambulemus. Officium
quidem Christiani vivis coloribus depingitur: *ast de ratione conse-
quendi beatitudinem æternam, plus quam pythagoricum hic silentium.*
Instantia: Quicquid CHRISTUS morte suæ nobis promeruit, id
necessarium est ad salutem. Sanctitatem vitæ CHRISTUS morte
suâ nobis promeruit. Ergo Falsâ laborat Majori. Siquidem non sal-
tem salutis media CHRISTVS acquisivit, sed ipsum simul salutis be-
neficium, & quidē primariū. Promeruit, ut sine metu hostium, ipsi servi-
amus omnibus diebus vitæ nostræ. Luc. I, 75. Ut sedeamus super duodecim
sedes, & judicemus duodecim Tribus Israel, Matth. XIX, 28. Ut libe-
remur à jugo legum Ceremonialium & Forensium Gal. V. Numquid pro-
pterea & liberationem ab hisce legibus, sessionem super duodecim se-
des, immunitatem à metu hostium, necessariam ad salutem pronun-
ciabimus?

§. XXX. Phil. II, 12. Cum timore & tremore salutem ope-
remini: Ostenditur quidem, quomodo comparatos oporteat esse fra-
tres, vi mandati divini, qui operari (impetrare) salutem cupiunt, præ-
ditos videlicet timore & tremore filiali, ut præmuniantur pectora,
adversus carnalem securitatem, & fallacem impunitatis persuasionem:
nullo autem apice adsignificatur, quidnam illud sit, quod salutem op-
retur, vel nobis conciliet.

§. XXXI. Phil. III, 14. Fratres, ego scopum persequor ad
ad brachium supernæ vocationis DEI, in CHRISTO JESU, obli-
scens ea, quæ retrò sunt, & extendens me ad ea, quæ sunt priora: Com-
mendatur pietatis studium, ceu *ἀγωνία* Pauli, ad salutem ad-
spirantis, nulla verò assignatur necessitas ad salutem pietati ipsi.

§. XXXII. I. Tim. VI, 17. Divitibus hujus seculi præcipe, ne
superbiant, neque sperent in incerto divitiarum, sed in DEO vivo, ut
benè agant, & divites fiant in bonis operibus, thesaurizent sibi fun-
damentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam:
Quid indigitatur, præter *οὐδὲ σμὸν* & *τὰ ἔργα*, inter Opera Bona, &
confirmationem salutis, respectu nostri, seu fidei nostræ, de probè ja-
cto salutis fundamento?

§. XXXIII.

§. XXXIII. II. Pet. I, 4. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit DEUS, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem: Quid pariter amplius docetur, quàm qualitas hominum salvandorum, & connexio Bonorum Operum cum salute, hujusq; consecutio POST Opera Bona? Unde nondum salutis dependentia ab operibus infertur.

§. XXXIV. Quid itidem, firmam facere vocationem & electionem, καὶ ἡμᾶς, quoad sensum & experientiam nostram, quod paulò post injungitur v. 10. aliud est, quàm ornare & contesserare vocationem nostram, seu spartam, quam semel nacti sumus? Transceat, quod additamentum versionis Latine, per Opera Bona, tot plenæ mendis, quot sunt in taxillis puncta, sors Græcus ignoret. Nec obstat, quod finis hic intermedius ad alium ulteriorem referendus sit. Etenim non statim quicquid aliquo modo ad vitam æternam refertur, rationem habet alicujus causæ, vel propriè sic dictæ, vel impropriè, seu sine quâ non. Referuntur signa ad signatum, neque tamen causæ sunt rerum signatarum, ut ut principia præbere cognoscendi possint, quæ nos in signatorum notitiam perducant. Et ita justificatorum Opera Bona respiciunt vitam æternam, non quod necessaria sint ad illam impetrandam & consequendam; sed quod requirantur ad notificandam nobis & aliis certitudinem regenerationis & justificationis jam impetratæ, ut & status salutis, in quo versamur.

§. XXXV. Jac. I, 25. Qui perspexerit in legem perfectam, libertatis, & permanserit non Auditor obliviosus factus, sed factor Operis, hic beatus in facto suo erit: Beatus laudatur factor Operis, hoc est, fidelis & renatus, qui se non præstat talem μέγχι & λέγειν, ἀρεῶν & πειρῶν, ignavâ operâ, Christianâ sententiâ, in Opere, si-ve in statu Bonorum Operum, in quo DEVS nos vult versari, & ex quo tum nobis, tum aliis, fides ac beatitudo nostra innotescere atque monstrari potest, & debet. Jac. II, 18. Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego tibi ostendam fidem meam, ex operibus meis. Quid? quod Jacobo cap. I, 25 sermo sit de Lege libertatis, hoc est, fidei aut Evangelii, per quam in libertatem gloriosam filiorum DEI, à CHRISTO partam, asserimur, quæq; credendo impetrat, quod Lex Operum
minan-

minando, ut ait Augustinus, imperat, Joh. VI, 29. Hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille.

§. XXXVI. Ostendunt utilitatem crucis dicta Act. XIV, 21. II. Cor. IV, 17. VII, 10.

§. XXXVII. Act. XIV, 21 Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum DEI: Monstratur via regni, seu in regno, ut Bernhardus loquitur, eaq; posita non in operibus, sive actionibus; sed in afflictionibus, vel passionibus: nequaquam regnandi causa: hoc est, ostenditur semita duntaxat & orbita, quam calcare tenentur homines ad salutem contendentes, non minus aspera & impedita, quam si per Athonis & Caucasi nives, per ferventes Lybiae arenas procedendum foret; & ordo, quem DEVS in salvandis electis observat, compassuris prius CHRISTO, quam conglorificentur. Rom. VIII. non medium ullum, quod nos ad salutem perducatur, vel à quo salus pendeat, nec ulla praecedentia moralis, sensu Sw. retzii sumpta, ut autumant Novatores.

§. XXXVIII. II. Cor. IV, 17. Momentanea levitas tribulationis nostrae, supra modum operatur sublime & aeternum gloriae pondus; Subjecti locum occupat tribulatio levis: VII, 10. Quae secundum DEUM est Tristitia, paenitentiam operatur in salutem, cujus neminem paeniteat, pro subjecto est tristitia secundum DEUM, hoc est, fide temperata; non opus, sed passio. Et de afflictionibus quidem, quas DEVS immitit fidelibus, ad explorandam fidei sinceritatem, & coercendos intra gyrum pietatis efferentes sese pravorum affectuum impetus, nostrum non est confundere cum spontaneis Christianorum actionibus, perhibetur, quod DEVS illas premiare velit immenso pondere, hoc est, insigni prerogativa, vel excellentioribus gradibus gloriae, postquam patienti stomacho concoctae fuerint. De tristitia autem secundum DEUM affirmatur, quod paenitentiam operatur eis *συνήριον*, hoc est, *συνήριον*, seu minimè paenitentiam, dum tali dolore affecti, agnoscunt Spiritualem suam paupertatem, vel *ἀδυναμίαν* Operibus suis salutem impetrandi: Ideoq; imponit sibi necessitatem eandem extra se quaerendi, in CHRISTO, *ἰκέτην ἡμῶν* nostro. Matt. V, 3. 4. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Et IX, 12. Non opus est medico valentibus, sed male habentibus.

§. XXXIX.

§. XXXIX. Depingitur conditio salvificæ fidei. Rom X, 10.
Gal. V, 6. Heb. X, 36.

§. XL. Rom. X, 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem: *Confessio requiritur ad salutem, non ut deum acquirenda medium, sed uti jam per fidem impetrata signum, interprete Davide Psalm 116. I. & Apostolo II, Cor. IV, 13. Credidi propterea locutus sum: Imo Salvatore ipso Matt. X, 32. Qui confitebitur me coram hominibus, illum & ego confitebor coram Patre meo, qui in cœlis est. Unde nonnulli hic Habraismum agnoscunt, per quem Accusativus cum præpositione A D ponatur pro Genitivo, ut confessio ad salutem, idem sit quod confessio salutis; hoc sensu, quod fideles deceat, in salutis & Religionis negotio, perpetua oris & cordis concordia, adeoque os piorum Christianorum intrepidè confiteatur, quicquid cor credit ad salutem.*

§. XLI. Gal. V, 6. In CHRISTO JESU neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium: Sed fides quæ per charitatem operatur: *Natura salvificæ fidei docetur ab actu externo & effective, qui est operatio per charitatem; ut internus & formalis, apprehensio gratiæ divini, in meritoria CHRISTI satisfactione, ac satisfactorio merito fundata. Etsi verò per varia charitatis exercitia fides vera & viva, emergente saltem bonè agendi occasione, in actum hunc secundum erumpat, seq̃, conspiciendam præbeat; quemadmodum prolixum eorundem Gymnasium catalogū contexit Epist. ad Hebr. XI. ut illum incidere nexum, quo fides salvifica operibus charitatis coheret, & coexistit, nulla vis facilius possit, quàm illuminatione Solem, ustione ignem prohibere: In consortium tamen actus formalis, ac interni, justificationis & salvationis, non magis adsciscuntur opera, quàm ad officium formæ solaris, & igneæ, illuminatio & calefactio pertinent. Manent tanto intervallo disjunctæ hæc propositiones: Fides, quæ per charitatem efficax est, salvat: Et: Fides, quæ per charitatem efficax est, salvat: quanto remouetur quælibet enunciatio absoluta, descriptiva subjecti, ab exponibili & limitativa.*

§. XLII. Heb, X, 36. Ἰμμενησ ἐχετε ῥηϊαν, ut voluntatem DEI facientes reportetis promissionem; quæ occurrit vox Græca, Ἰμμενησ, significatione generali notat constantiam, seu perseverantiam cujuscunque πείρας, tam θυμικῆς, quàm Ἰνιδυμικῆς; aut

C

ἔξεως

ἔξω, sive circa τὰ πικρὰ versetur, sive circa τὰ θαρρῶδέα. Sic di-
 citur ὑπομονὴ ἔργα ἀγαθὰ, Rom. II, 7. ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος,
 I. Thes. I, 3. & DEVS celebratur ὑπομονὴ Davidis Psal. XXXIX, 7.
 LXII, 5. LXXI, 7. Apud Scriptores prophanos plerumq; ὑπομένειν,
 idem est quod irruentis impetum hostilem sustinere, & fortiter exci-
 pere. Quomodo Homerus II. π. εἰς ὑπέμεινε γυμνὸν περ' ἐόντα; &
 Plutarchus in Alcib. εἰς εἰς εἰς ὑπέμεινε αὐτὸν. Etsi verò in T. N.
 ὑπομονὴ frequentissimè significet patientiam, seu perseverantiam,
 in sustinendis animosè & perferendis ictibus atque fulminibus adver-
 sitatum; vox etiam ambigua absolutè posita stet, juxta Logicam,
 pro significato famosiori: tamen quo sensu usurpetur Heb. X. non si-
 nit nos latere substrata materia, & συνέπεια textus, collatis antecede-
 ntibus cum consequentibus: quippe quæ abunde testatum reddunt,
 suaderi hoc loco perseverantiam in fide; dissuaderi contrario itinere
 ὑποσολήν, vel ὑποσείσιν à fide, & veritate semel agnitâ. Præce-
 dunt enim v. 35. ista: Ne abjiciatis τὴν πίστιν, fiduciam vestram,
 quæ habet remunerationem magnam. Sequuntur hæc v. 37. Mo-
 dicum veniens veniet, & non tardabit, at justus ex fide vivet, & si sub-
 traxerit se, non placebit animæ meæ. Quasi dictum fuisset: Athle-
 tam generosum non solum decet, in arenam Martio animi robore de-
 scendere, aut hostem imperterrito vultu aggredi; sed constantiâ quo-
 que opus est fortitudinis, & præclarorum conatum, si optatum re-
 portare brabeum gestiat, neminem prius exhilaraturum, quàm ho-
 stem suum tandem fuderit & debellarit. Eandem faciem rebus ve-
 stris promittite. Annitendum vobis est, Athletis Christianis, ad
 κειμήλιον, quâvis laureâ lemniscatâ, quovis apio & oleastro longè
 potiore coronam illam ἀφθαρτὸν, ἀμάραντον, ἀμίαντον, vitæ eter-
 næ, sinem fidei vestræ, I. Pet. I, 4. tanquam victoriæ vincentis mun-
 dum, I. Joh. V, 4. Nunquam autem enitemini, nisi constantiam fidei
 & πίστιν, cujus confessionem hætenus edidistis, impostetum et-
 iam retinueritis, usque ad gloriosissimum adventum supremi Agono-
 thetæ, jam tamen imminentem. Memineritis fidem quatuor veluti
 vicissitudinibus distingui, Veris, Æstatis, Autumni, & Hyemis. Ne-
 quaquam autem satis habendum, fidei professionem jactare, dum in
 ecclesiæ pomerio, vel amœnitas vernalis, in spem rerum meliorem nos
 erigit,

erigit, & in florem cuncta se induunt; vel succedente aestate, in frugem illa & maturitatem asurgunt, & nos utimur rebus ad votum fluentibus. Imò, nec autumnalis beat fides, ubi turbines quidam tentationum flare incipiunt, & tempestatem minari horridiorem: sed hyberna demum fides, per obstacula, & luctum quemvis feliciter eluans, quæ prius acta fuerunt bene, peragit, & in optatâ metâ nos sistit. Perseverandum est. Qui perseveraverit usque ad finem, salvabitur, Matth. XXIV. Vel ut Chrysoft. super hunc locum commentatur: Unum opus habetis tantum, ut perseveretis, & expectetis futura, non ut iterum certetis, ad ipsam jam coronam proximi facti estis. Certamina cuncta sustinuitis, vincula, tribulationes, substantiæ vestræ direptæ sunt: Quid est ergo, nisi quia adhuc statis, ut de caelo coronemini. Conf. Oecumenius, Theoph. & Erasmus. Sed ponamus ἐκ δειοῦς, coincidere hic ὑπομονὴν cum patientiâ, nondum evicta ἢ ἰουδυναμίᾳ harum propositionū: Patientiâ indigetis, ut reportetis promissionem. Et: Patientia necessaria est, ad consequendam salutem: cum Textus saltem ostendat qualitatem, ὑπόσχεσθαι & τεκμήριον subjecti promissione salutis fruituri: non autem modum, aut medium eò perveniendi: enunciatio etiam composita Textus sacri resolvenda veniat in duas simplices, quarum prior Patientiâ indigetis: Posterior: Facientes voluntatem DEI, reportabitis promissionem.

§. XLIII. Agunt de operibus Salvatoris DEI sententia Heb. XII, 14. I. Tim. IV, 16.

§. XLIV. Heb. XII, 14. Sectamini τὸν ἀγιασμόν, sine quo nemo videbit DOMINUM: ἀγιασμός, non significat πρῶτως sanctitatem vel sanctimoniam vitæ nostræ: sed sanctificationem, quam in nobis operatur gratia DEI, de quâ mox additur: Considerantes, ne quis desit gratiæ DEI. Ut sileri patiamur, nec illud protinus ad rem aliquam necessarium esse, sine quo ad hanc ipsam perveniri nequit. Nemo justificatur sine peccatis. His enim qui caret, nullâ peccatorum remissione indiget. Nemo salvatur ordinarie, sine præviâ morte & corruptione corporis, Job. XII. Num idè necessaria ad justificationem peccata, ad salvationem mortem corporis censebimus? Nemo nascitur sine vitio, nemo sanatur sine morbo, nemo discit sine ignorantia, nemo excellit sine invidia, nullum opacum illuminatur sine

umbrâ. Ideone autem necessarium ad nativitatem vitium, ad sanationem morbum, ad discendum ignorantiam, ad excellendum invidiam, ad illuminationem opaci umbram pronuntiabimus?

§. XLV. I. Tim. IV, 16. Hoc fac, & doce, sic te salvabis & alios; Rursus non de Operibus moralibus, & singulis reuatis communibus, sermo est, sed de Divinis, prædicatione, exhortatione, consolatione, pœnitentium absolutione, Sacramentorum administratione, quæ DEO competunt ipsi, tanquam causæ principali, Ministris autem divini verbi ὁργανισμός. Matth. X, 40 Luc. X, 16. Qui vos audit, me audit. II. Cor. V, 20. Pro CHRISTO legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos.

§. XLVI. Offert se promissio Legalis Matt. XIX, 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quæ siverat è Salvatore Juvenis: Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Fastu & jactantia Bonorum Operum turgens. Mansurus itaq; in re quæsita Salvator remittit illum ad faciendorum normam, legem, ut vitâ universâ, juxta Legis præscriptum, solerter excussâ, ad agnitionem perduceretur suæ miserie, omnimodæq; impossibilitatis, requisitam à Lege conditionem perfectæ obedientiæ implendi, & faciendo, sive operibus, salutem impetrandi: ideoq; hanc extra se suaq; opera quæreret in CHRISTO, Gal. III, 21. Si data esset Lex, quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide JESU CHRISTI daretur credentibus, Rom VIII, 3. Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium suum mittens in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum.

§. XLVII. Vendicatur Operibus Bonis necessitas, sed absque ἐπιβουλῆ, super quâ controversiæ totius cardo vertitur, ad salutem. Act. XV, 28. Visum est Spiritui S. & nobis nihil imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstinere vos ab Iodolothytis, & suffocato, & fornicatione. I. Cor. IX, 16. Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Rom. XIII, 5. Necessitate subditi estote non propter iram solum, sed etiam propter conscientiam. Manducare & bibere est necessarium, vestiri, dormire, vigilare est necessarium: sed alia quæstio est: Quid sit necessarium ad salutem, inquit Lutherus in Explicat. Evang. Luc. X. & iterum

rum in Diss. anni 36. Multa sunt necessaria, cor, voluntas, Lex, poenitentia, fletus Petri, &c. Sed non sequitur, quod sint necessaria ad salutem. Pseud-Apostoli quidem Circumcisionem postulabant, ut necessariam ad salutem, per modum tum medi, tum meriti: Apostoli autem non substituerunt, ejusdem finis intentione, abkinentiam à fornicatione, & similibus; sed ad ordinem modo Christianismi piè observandum, & ad præstandum prudenter veri Christiani officium.

§. XLVIII. SEDEM

Si constituerimus, & præsidium primarium Orthodoxie nostræ in Eph. II, 8. minime nos ab ostii limine aberraturos esse confidimus: Tam evidenter certè Heterodoxiam Antagonistarum rejiciente, ut, si absque horrendo foret præconceptæ opinionis fascino, primo statim oculi jactu illam deprehenderent, ingenuèq; agnoscerent, & justà severitate non ad Indos & Garamantas, sed ad genitalem Orcum nobiscum amandarent. En enim Oraculum luce meridianà clarius, ab ipso Sole Justitiæ profectum: Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Cui parallela prorsus sunt, & οὐ μὴ ὄντα, quæ leguntur II. Tim. I, 9. DEUS liberavit & vocavit nos vocatione sanctà, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in CHRISTO JESU ante tempora secularia: Nec non Tit. III, 5. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. En igitur invictum quoque adversus omnes inferorum portas Syllogismum: Quicquid non obtingit ex operibus, ad illud Opera Bona non sunt necessaria. Salus non obtingit ex Operibus bonis. Ergo Opera bona ad salutem non sunt necessaria.

§. XLIX. Quamvis singula propemodum verba, singula sint argumenta, eaq; partim affirmativa, partim negativa. Affirmativorum, afferentium causas salutis veras, l. desumitur à Causa impulsiva, GRATIA, quam hic non designare ἡ δὸν ἢν vel τὴν ἰσὺν, venustatem aliquam & elegantiam, sive è verbis, sive ex Operibus effulgentem, & in amorem sui alios allicientem, ac suaviori voluptatis thyrso vitillantem, ut Psalm. XLV, 5. Prov. XXXI, 31. Luc. II, 40. Eph. IV, 29. Neque beneficii retributionem, aut laboris compensationem, ut Luc. VI, 33. & XII, 9. Gen. XXXIX, 4. Invenit (Josephus) gratiam in oculis DOMINI, quia erat vir fortunatus, hoc est, propter egregia-

rum virtutum & meritorum gloriam, quem sensum olim Jesu-witas
 Colonenses hic amplexi sunt: neque χάρισμα, seu dona hyper-
 physica per gratiam collata, ut Act. XI, 23. I. Cor. XV, 10 quod Ponti-
 ficus plerisque videtur, gratiam in Articulo Justificationis & salvatio-
 nis, de infuso charitatis habitu interpretantibus: neque beneficia crea-
 tionis, seu bona naturæ, nobis immerentibus concessa, quæ significa-
 tio Pelagio arrisit, teste August. Epist. 95. ad Innocent. ipsiq; Erasmo
 in Hyperasp. prorsus ἀγχαφ: sed merè gratuitum favorem, bene-
 volentiam, misericordiam, clementiam, benignitatem, & pronitatem
 ad promovendum & provebendum alterius emolumentum, evincunt,
 præter contextum, qui de salvationis gratiâ dixerit, cum immensam
 amplitudinem & divitias divinæ misericordiæ perperam emphaticè ce-
 lebrasset vers. anteced. 4. 5. ὁ Θεὸς πλάσθη ὡν ἐν ἐλέει, διὰ τὴν
 πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, νεκρῶς τοῖς παραπτώ-
 μασι συνελθοποιήσας τῷ χριστῷ: χάριτι ἐστὶ σωσμένοι; tum
 loca parallela, in quibus χάρις conjungitur cum ἰδίῳ προθέσει &
 data nobis perhibetur, πρὸ χρόνων αἰώνιων, II. Tim. I. quibus nil
 nostrum exitit, & explicatur per χρηστότητα, Φιλανθρωπίαν, ἔλεος
 Tit. III. tum particula exclusiva δωρεάν, Gratiæ adjuncta Rom. III.
 24. quæ quando non opponitur solutioni pretii, ut Gen. XXIX, 15.
 Exod. XXI, 2. II. Cor. XI, 7. vel justæ causæ ut Psalm XXXV, 19. Gal.
 II. vers. ult. Omnium eorum, quæ nostræ sunt, concursum removet.
 Ut etiam Thomas, & Richardus de mediâ Villâ fateantur quosdam
 veteres interpretationem hanc suffragatione suâ approbare. Nos ita
 concludimus: Quicquid confert gratia DEI, ad illud non sunt neces-
 saria Opera Bona. Salutem confert Gratia DEI. E. ad salutem Bona.
 Opera non sunt necessaria. Major probatur, quia Gratia nulla ope-
 ra, compatitur Rom. IV, 4. Operanti merces non imputatur καὶ χά-
 ριν, ἀλλὰ καὶ ὁ φείλημα Gal. V, 4. Evacuati estis à CHRISTO
 qui in Lege justificamini, gratiâ excidistis. Minor habetur in Textu.
 §. L. II. A causâ Instrumentali, eâq; ληπτικῇ, FIDE, Gratia
 Salvati estis per fidem: per quam nimirum habemus παρρησίαν καὶ
 προσεγγίην ἐν πεποιθήσει. Eph. III, 12. cuiq; tribuitur insigni elo-
 gio πολλοφορέια Rom. IV, 21. ἴαρεσθαι Matt. IX. ὑποτασσὶς
 ἔλεος



Εὐλαχ. Heb. XI, 1. Nam etiam fides hæc & Opera in actu Sal-
vationis & Justificationis ἀούρατα sunt Rom. IV, 5. 6. Non operan-
ti, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad
justitiam. Beatitudo Hominis est, cui imputat DEUS justitiam sine
operibus. Est quidem opus aliquod, ipsa etiam apprehensio, applica-
tio & appropriatio, in quâ formale fidei salvificæ officium consistit:
absit autem putemus cum Gnosticis s. Antiquis, sive recentioribus, h. e.
Arminianis, fidem salvare ut opus, ob internum quendam sui valo-
rem & pretium, ac peculiarem quamp am dignitatis suæ prærogati-
vam, cum vim omnem mutuetur ab adæquato objecto, merito & sa-
tisfactione CHRISTI, quem DEVS proposuit ἰλασθῆναι in sanguine
ipsius Rom. III, 25. Quamobrem manent fides salvifica, ut talis, & o-
pera, sibi ἀντιδινημένως opposita Phil. III, 9. Ut inueniar in CHRIS-
TO, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fi-
de est CHRISTI Gal. III, 16. Scientes quod non justificetur Homo
ex Operibus Legis, nisi per fidem JESU CHRISTI: & nos in
CHRISTUM JESUM credimus, ut justificemur ex fide CHRISTI,
& non ex Operibus Legis. Gal. III, 11. 12. Quoniam in lege nemo
justificatur apud DEUM, manifestum est quod justus ex fide vivet,
Lex autem non est ex fide. Matt LX, 21, 22. Hæmorrhousæ corpore
quidem attingebat Christum: non autem tactus, sed soli fidei effectus
ille adscribitur, quod Salvata sit. Luc. VII. vers. ult. Fœmina pecca-
trix, multum quidem dilexit magni debiti remissione læta: verum de
solâ fide, non simul de dilectione dicitur, quod eam salvam fecerit.
Imo in salvationis negotio, non tam activè fides se habet, quàm pas-
sive, potius quæ salvat ut organon, quò quasi manu apprehendimur à
CHRISTO, quàm ut medium apprehensivum CHRISTI. Phil. III, 12.
Non quòd jam apprehenderim, aut jam perfectus sim. Sequor autem
ut apprehendam, sicuti apprehensus sum à CHRISTO JESU. Na-
scitur itaque è dictis syllogismus novus: Quicquid consequimur fide,
ad illud non sunt necessaria Bona Opera. Salutem consequimur fide.
E. ad salutem non sunt necessaria Bona Opera.

§. LI. III. à Causâ Principali salutis & salvificæ fidei, DEO,
DEI enim donum est, scilicet speciale & renatorum proprium:
non habitus aliquis ἐπικτητός, humanâ curâ, studio, docilitate, pre-
bitate, industriâ, & frequenti actionum repetitione comparatus, ac in

sub.

subiectum introductus: Sed Θεός δὲ, hyperphysicè, absque omni
nostrâ conueyentiâ Spiritus S. gratiâ infusus, eiq; soli in acceptis refe-
rendus: nec saltem ratione Causarum, facultatis credendi, nullo no-
stro merito provocatæ, aut gratuitæ annunciationis Evangelii, per
quam fides excitetur, ut Socinus autumat de Justificatione pag. 140.
seq. sed quoad ipsum τὸ εἶναι suum, & actualem existentiam. conf.
Phil. I, 29. Joh. VI, 29. I. Cor. XII, 3. Quamobrem plurimi, licet in
culturam honestatis seriò incubuerint, fidei tamen saluificæ nun-
quam participes evaserunt Rom. IX, 30. 31. Gentes quæ non secta-
bantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Iustitiam autem quæ ex
fide est. Israel vero sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non
peruenit. Conf. Joh. XVI, 2. Ceterû in edendis operibus verè Bonis rena-
ti quidem sunt conueyentiâ Spiritus S. I. Cor. III, sed hanc ipsam ob cau-
sam, quod DEI solius Bona opera nostra non sint, ad saluationis actum
non pertinent. Ut incommoda sit vox Augustini (addamus hoc
ὡς ἐκ δωρεῶν) Vita æterna est donum DEI, & gratia, quia meri-
ta, quibus redditur, dona DEI sunt, Operantis in nobis, & ita gratia
pro gratia redditur. Bellè autem congruit codici sacro citata in Au-
gust. Conf. vox Ambrosii: Hoc constitutum est à DEO, ut qui cre-
diderit, saluus sit sine opere, solâ fide, gratis accipiens remissionem
peccatorum. In I. Cor. I. Et super cap. XI. Rom. Hoc decrevit Deus
ut quia nulla spes per legem omnibus hominibus erat, DEI misericor-
dia saluarentur. Nec non Chrysost. de Fide & lege naturæ. La-
tro credidit dantaxat, & iustificatus est, à misericordissimo DEO,
atque ne mihi dixeris, defuisse tempus, quo iustè viveret, & honesta
opera faceret. Neque enim de hoc contenderim ego, sed tantum
illud unum asseueraverim, quod sola fides per se saluum fecerit.
Accedit proinde Syllogismus III. Quicquid impetrat donum merè
Θεός δὲ, ad illud non necessaria sunt Bona Opera. Salutem im-
petrat donum merè Θεός δὲ. E. ad salutem non necessaria sunt
Bona Opera.

§. LII. Hinc fluunt argumenta duo negativa, tollentia causas
salutis falsas. Prius suggerit remotio falsæ cause efficientis. Idque
non EX VOBIS. Syllogisticè: Quicquid non adipiscimur ex no-
bis, ad illud Opera Bona non sunt necessaria. Salutem non adipi-
scimur

scimur ex nobis. Ergo ad salutem Opera Bona non sunt necessaria.
Sen: A quocunque omnia nostra sunt excludenda, ad illud Opera
Bona non sunt necessaria. A salute omnia nostræ sunt excludenda.
E. Major probatur, quia eorum quæ nostra sunt ambitu etiam Opera
moralia, cujuscunque sint conditionis, comprehenduntur. Minor est
Apostoli. Nec obscura ratio: siquidem quascunq; actiones nostras in-
firmat caro, Rom. VIII, hoc est, adhærens hâc in vitâ indivulso nexu
peccati originalis labes, tanta a traxio contaminat, ut in omni Opere
Bono peccemus mortaliter: Si secundum rigorem nempe divini judi-
cii nobiscum agendum foret: & multum quidem DEVS in nobis inve-
niat, unde damnet, nihil autem, unde salvet, sententiâ August. é con-
sideratione processus judicialis, cautius loquentis, super verba Psal.
Pro nihilo salvos facies eos. Ad quam mentem redit, super Psalm.
CXXX. Si iniquitates observaveris DOMINE, DOMINE, quis susti-
nebit? Ecce apparuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim
sub molibus & fluctibus iniquitatum suarum. Circumspexit se, cir-
cumspexit vitam suam, vidit eam undique flagitiis & facinoribus coo-
pertam, quocunque respexit, nihil in se boni invenit, nihil illi justitiæ
ferenum potuit occurrere. Et cum tanta & tam multa peccata un-
dique & catervas scelerum suorum videret, tanquam expavescens ex-
clamavit: Si iniquitates observaveris DOMINE, D O M I N E, quis
sustinebit? Non dixit, ego non sustinebo: sed quis sustinebit? Vi-
dit enim probè totam vitam humanam circumlatrari peccatis, accu-
sari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum
præsumens de suâ justitiâ. Iterumq; Ambrosius de Jacobo & vitâ
beatâ: Non operibus justificamur, sed fide. Quoniam carnalis in-
firmitas operibus impedimento est: sed fidei claritas factorum ob-
umbret errorem; quæ meretur veniam delictorum. Et Hieron. l. i.
adversus Pelagianos: Tunc justus sumus, quando nos peccatores fa-
temur, & justitia nostra non ex proprio merito, sed ex DEI consistit
misericordiâ. Quamobrem doctrina de necessitate Operum Bonorum
ad salutem, nil agit aliud, quàm ut perspectâ operum nostrorum mul-
tiplici imperfectione, & immunditie, maledictioni nos subjiciat, Gal.
III. & consternatis metu iræ divinæ conscientis, certissimam ad de-
sperationem viam paret, aditumq; patefaciat. Quæ ut declinaretur,
scitè Anselmus in Dialogismo, cum quovis fratre morti vicino, insti-
D tuendo.

D

tuendo.

tuendo, (ad quem Caspar Ulenbergius causa 14. cur ad Papistas redeundum sit, provocat, quod in Diocesi Coloniensi haectenus ille semper usurpatus fuerit, ad infirmorum consolationem) agonizantem ab operibus propriis plane abducit, & ad mortem Christi remittit, atque de hac illi salutem spondet. Ad quaestionem enim: Fateris, te non tam bene vixisse, sicut debuisses? Respondetur: Fateor. Post interrogationes, de proposito emendandi, si vita supersit, de universalitate meriti Christi, subjicitur quaestio: Credis, non posse salvari nisi per mortem ejus? Respondetur: Etiam. Qu, Agis de hoc ex corde gratias? Resp. Etiam. Tunc Minister: Age ergo, dum in te est anima tua, ei semper gratias, & in hac sola morte totam fiduciam tuam constitue. Huic morti te totum committe, hac morte te totum contenge, eiq; te totum involve. Et, si DOMINUS te voluerit judicare, dic; DOMINE, mortem DOMINI nostri JESU CHRISTI obijcio inter me, Te, & judicium tuum, aliter tecum non contendo. Quantum vero opis aut solatii afferet misero peccatori, cum desperatione colluctanti, ob defectum Bonorum Operum, distinctio inter debitum & meritum? annon perinde erit, quocumque titulo ac praetextu Opera Bona urgeantur, ut ad salutem necessaria, dummodo absint. Si a captivo Leberide pauperiori postulentur, ad obtinendam libertatem, aliquot myriades florenorum, nonne res eodem redibit, sive meriti appellationem gerat, sive debiti, solvenda loco λύτρω pecunia; modo miser non sit solvendo? Apage frivolum hanc ludificationem a re tam ardua altoq; loco posita.

§. LIII. Posterius suggerit remotio falsi finis: Ne quis gloriatur. Cum partium nostrarum sit omnia referre ad gloriam Dei, I. Cor. X, 31. Et in hoc gloriari, Jer. IX, 24. I. Cor. I, v. ult. Excludatur autem gloriatio omnis non per legem operum, sed lege fidei, Rom. III, 27. Syllogisticè: Quicquid nullam nobis relinquit gloriandi ansam, ad illud Opera Bona non sunt necessaria. Salus nullam nobis relinquit gloriandi ansam. E. Ad salutem Bona Opera non sunt necessaria. Ὅτι περ ἐδὲ θεῶν. Superest, ut adjiciamus ad residuas Adversariorum Objectiones

RESPONSIONES GENERALES.

§. LIV. Prima sit: Illicitum est dogma aliquod aestimare ex effectu, seu consequente per accidens.

(Obji.

Objiciunt dissentientes (1) Quicquid introducit Epicureismum, est fugiendum. Dogma, de Operibus ad salutem non necessariis, introducit Epicureismum. E. Major patet, quia omnis ἀγοραστήσις, omne Ἰπνάλυσις κακίας severissime prohibetur Gal. V, 13. I. Pet. II, 16. Minor probatur, quia vulgus iners, quod rigidioris disciplinae vincula exosum in qualibet corporis indulgentia vivere gestit, non secus enunciationem negativam: Bona opera ad salutem non sunt necessaria; arripit, ac si utraque negaretur necessitas, tam præcepti quam medii.

(2) Quicquid Religionem Christianam contemptui exponit, & infra vilitatem superstitionum Ethnicarum abjicit, est fugiendum. Dogma, quod abstinence à peccatis & criminibus, ad salutem non sit necessaria, id facit. E. Minor probatur, quia etiam sine Christo sapientes, studium Bonorum Operum, & fugam vitiorum summè necessariam semper judicarunt. Limitanda verò utrobique Major. Quicquid introducit Epicureismum per se, est fugiendum. Sic quicquid Religionem Christianam contemptui exponit per se, est fugiendum. Quomodo corruere oportet Minorem: Quod enim obscuro & male feriati terræ filii, doctrinam nostram abutantur, ad laxandas carni habenas, & sectandam officinam nequitiæ, planè sit per accidens, contra intentionem tum Scripturæ Sacræ, tum Orthodoxorum Theologorum, qui zelo pietatis nulli adversariorum cedunt. Sicuti universum Evangelium, quod καὶ εὐτὸς ἔστιν odor vitæ ad vitam; καὶ οὐ μὲν βλάπτει, culpam impiorum, sit odor mortis ad mortem. II. Cor. II, nec quicquam tantam bonitatem gaudet, quin in abusum trahi à malitia hominum queat. Ex adverso, cum ad assequendum bonum finem, opus sit bonis & legitimis mediis, non magis integrum erit docere falsa, quam facere mala, ut eveniant bona. Si indiscriminatim amplectendum probandumve foret, quod ullo modo boni quicquam efficit, quorusquisque vel febrim averfaretur, vel malos mores. Nam & illam temperantiam gignere, & hosce bonas leges constat. Transeat, quod abstinence à flagitiis, formaliter sit omisio operum malorum, non Opus Bonum, nedum Opus proprium renatorum, seu justificatorum, quale hic in controversiam vocatur. Cæterum aliter longè comparatum est cum scandalo, quod phrasis affirmativa: Opera Bona sunt necessaria ad salutem; gignit. Id enim non saltem per Accidens exsurgit, vitio

Auditorum, vel lectorum: sed per se, ex usitato verborum significatu, resultat: adeoque non acceptum est, ex parte imperitorum, sed datum ab auctoribus. Ut ad hanc quoque, de Operum necessitate ad salutem, doctrinam sese extendat, quod fatetur, præter Christophorum Rantzovium, Princeps Hassiæ Ernestus: viam sibi ad suscipiendam Religionem Papisticam, per principia Calixtina, fuisse monstratam, in literis, ad Calixtum datis die 8. Febr. Anno 1652. Coloniae ad Rbenum. Quamobrem Formula Christianæ Concordiæ, phrasin illam & doctrinam rejectam penitus, & extra Ecclesiæ proscenium in æternum proscriptionem voluit, tanquam simpliciter & adversâ fronte pugnantem cum doctrinâ de particulis exclusivis, in Articulo Justificationis & Salvationis. In æternum, inquam, ne causæ interdicti restringeretur ad certum tempus Interimisticum, & ad vitandas insidias, per librum Interreligionis structas, quasi hoc cessante, absque periculo, revocari hodiè, vel certè tolerari posset.

RESP. II.

§. LV. Non statim ad salutem necessarium est, sive conservandam, sive consequendam, quod requiritur, ne quis incurrat reatum oppositæ perniciæ, & condemnationis.

Fallit proinde Minor sequentium Objectionum: (1) Quicquid requiritur, ne Homo subjiciatur maledictioni, id ipsum necessarium est ad salutem. Bona Opera requiruntur, ne homo subjiciatur maledictioni. E. (2) Quicquid requiritur, ne amittatur salus, id necessarium est ad salutem. B. O. requiruntur, ne amitt. salus. E. (3) Quicquid requiritur, ne quis in ignem æternum conjiciatur, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur, ne quis in ignem æternum conjiciatur. E. (4) Quicquid requiritur, ne à Christo in extremo judicio abnegemur, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur ne à CHRISTO in extremo judicio abnegemur. E. (5) Quicquid requiritur, ne abnegetur & amittatur fides, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur, ne amittatur & abnegetur fides. E. (6) Quicquid requiritur, ne abnegetur DEVS, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur, ne abnegetur DEVS. E. (7) Quicquid requiritur, ne accenseamur hypocritis, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur, ne accenseamur hypocritis. E. (8) Quicquid requiritur, ne infernali tortori tradamur, est necessarium salutem. B. O. requiruntur, ne infernali tortori tradamur, E. (9) Quicquid requiritur

171147

ritur, ne remissio peccatorum nobis denegetur, est necessarium ad salutem. B. O. requiruntur, ne remissio peccatorum nobis denegetur. E. Multa enim requiri possunt, ad non amittendum aliquod bonum, & declinandum oppositum malum, quaecumque id extiterit, quæ ne hilum conferunt ad bonum illud acquirendum. Eamus per exempla. Ne amittatur propugnaculum, opus est solerti occlusionem portarum, evacuatione fossarum, & similibus. Quæ autem faciliore negotio id acquireretur, vel occupabitur ab hoste, quam si fossæ ubique maneant terrâ impletæ, aut glaciæ obductæ, & portæ omnes pateant? Ne amittat Nauta emptas alibi merces, indiget prudenti gubernatione navis, ad Syrtes & scopulos præternavigandos, cum acquisitio illarum fidem paulò antea fecerit disticho:

Mundus hic Oceanus, Regina Pecunia Cymba est,
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Ne amittatur, rigenti brumæ tempore, valetudo pedum, necessaria sunt calida tibialia: ad recuperandam verò hanc sæpenumero nil efficacioris est medelæ, immisione pedum læsorum in aquam frigidam. Hæreditas paterna amittitur variis scelerum portentis, obtinetur autem per solam generationem. Cum igitur determinatio rerum, tam ad acquirendam gratiam & salutem, quam ad non amittendam, necessariarum, unicèpendeat ab arbitrio & decreto divino, religio nobis sit, aliunde quàm è revelato Dei verbo, iudicium de hoc, vel isto negotio, ferre. Principia rationis uti nil dicitant de scopo hoc hyperphysico, quem salus animæ sempiterna præbet: ita nec docere valent conditionem requisitorum, vel mediorum, ad salutem sive adipiscendam, sive retinendam, necessariorum. Gratis regeritur: perinde tamen esse, quoad rem, quam possidemus, sive illa dicatur non amitti, sive retineri: sicuti pallium, librum, penulam dum non amitto, retineo, & quæ curâ opus est, ne talia amittantur, eadem simul efficit, ut retineantur. Confunditur enim perperam Hemisphærium inferius, bonorum secularium, cum superiori, complectente dona & bona spiritualia ac hyperphysica. Secularia si spectemus & corporalia, non urgebimus magno-pere discrimen, inter id non amittere, & retinere. Manifestissimum autem id est, si ad spiritualia cogitationem referamus. Hæc enim ut hyperphysica prorsus sunt: Sic non minus conservationem sui & consummationem, quàm inchoationem, soli divinæ gratiæ in solidum debent.

debeat. I. Pet. I, 5. 6. Virtute DEI custodimini per fidem ad salutem. Coloss. I, 22. Ille sistet vos sanctos & immaculatos coram ipso, si manseritis in fide fundati & stabiles, nec dimoveamini à spe Evangelii, quod audivistis. Rom. IV, 16. Ideò ex fide, secundùm gratiam, ut firma sit promissio. Rom. V, 2. Per fidem stamus & gloriamur in spe gloriæ Filiorum DEI. Gal. II, 20. Quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

RESP. III.

§. LVI. Nec *ὄτις*, nec liberationem à morte! Op. Bona conciliant. *Ejaculantur etiam Adversarii hæc argumentorum tela:* (1) Quicquid requiritur, ut fias filius DEI, & desinas esse filius Diaboli, id necessarium est ad salutem. O. B. requiruntur, ut fias filius DEI, & desinas esse filius Diaboli. I. Job. III, 10. E. (2) Quicquid requiritur, ne permaneas in morte, id necessarium est ad salutem. O. B. requiruntur, ne permaneas in morte. E. *At imbellia admodum & ficulnea.* Detorquetur enim pessimè in alienum prorsus sensum, sacrarum literarum testimonium, quippe quod non media exponit, per quæ ad salutem perveniamus, sed *παροισματα* tantùm, quibus filii DEI ab impiis discernuntur. Sicuti *ταπεινωσις* veri Discipuli CHRISTI suppeditant patientia, imitatio Christi, abnegatio sui, desertio conjugis, parentum, ac rerum mundanarum omnium. A qualitatibus autem & signis subjecti salvandi, non licet statim argumentari ad salutis media. *ὄτις* divinam & liberationem à morte, qui operibus vendicat, universam justificationis æquæ ac salutis Oeconomiam, à gratiâ DEI, ad opera nostra, cum Pontificis transfert. Quid enim aliud, fieri filium DEI, & desinere esse filium Diaboli, nec manere in æternâ morte, quàm è potestate tenebrarum, traduci in regnum Christi, quod sit ex parte DEI, per remissionem peccatorum, Coloss. I, ex parte nostrâ per fidem, Job. I. & III. V.

RESP. IV.

§. LVII. Etsi Opera Bona non statuuntur necessaria ad salutem, minimè tamen irritæ redduntur adhortationes, quibus populus ad Operum Bonorum studium exstimulatur. *Occidunt & illud:* Si Opera Bona non sunt necessaria ad salutem, supervacaneæ reddentur omnes exhortationes ad studium pietatis. At consequens absurdum.

dum. E. & antecedens. Verum non est absolutæ veritatis Major.
 Decet quippe exhortationes, & conciones ad populum, non tantum eò
 dirigere, ut media, quibus ad salutem apprehendendam indigemus, vi-
 tæ usurpentur: sed ut stationem quoque suam & doctrinam DEI, lau-
 dabili & inculpatâ vitâ, quisque condecoret. Tit. II, 10. Limitanda E.
 Major. Si B. O. non sunt ad salutem necessaria, nec alium ob finem
 exercenda, utiq; supervacaneæ reddentur exhortationes ad studium
 pietatis. Quomodo largimur totum. Suppetunt nimirum causæ aliæ
 diversissimæ, pietatis studium nobis commendantes, quas scite B. Lu-
 therus tribus includit classibus, cum docet quasdam respicere DEUM,
 quasdam Nosmetipsos, quasdam Proximum. Ferrere debet Operum
 Bonorum studium, propter DEUM. (1) Ut pareamus severo manda-
 to, Job. XII, 12. I. Job. IV, 21. I. Theß. IV, 2. II. Theß. III, 2. 4.
 I. Pet. I, 13. & III, 15. 17. (2) Ut nos conformes præstemus beneficio
 Redemptionis. Tit. II, 14. I. Pet. I, 24. II. Cor. V, 15. Eph. II, 10. Rom.
 VI, 4. (3) Ut vita respondeat beneficio sanctificationis. Gal. V, 22.
 Eph. V, 9. I. Theß. IV, 8. (4) Ut DEVS glorificetur, Matth. V, 16.
 Phil. II, 12. I. Pet. IV, 11. (5) Ut imitemur DEVM. Rom. XV, 7. Eph.
 IV, 32. & V, 1. I. Job. II, 6. I. Pet. II, 21. Propter nosmetipsos, (1)
 ut factò nos declaremur creaturam novam, & filios lucis. Rom. VI, 2.
 VII, 6. II. Cor. V, 17. Eph. V, 8. 11. (2) Ut testimonium extet veræ
 fidei & acceptæ salutis. Matth. VII, 17. Gal. V, 6. I. Job. IV, 7. II. Pet.
 I, 8. 10. (3) Ne amittamus fidem, gratiam DEI, justitiam & salutem,
 Rom. VIII, 13. I. Theß. IV, 8. I. Tim. I, 19. V, 8. VI, 10. (4) Ut vitemus
 pœnas divinas, temporales simul & æternas. Matt. III, 10. & XXV, 30.
 I. Cor. VI, 10. Gal. V, 21. Eph. V, 5. Col. III, 6. I. Theß. IV, 6. (5) Ut
 potiamur promissis præmiis. Matth. V, 3. VI, 4. X, 32. XXV, 21. Luc.
 XIV, 14. II. Cor. V, 10. I. Tim. IV, 8. Propter proximum, (1) ut ra-
 tionibus ejus consulamus, Prov. XIV, 11. Rom. XIV, 2. I. Job. III, 8. (2)
 Ut nostro exemplo ad pietatem colendam calcæ supponatur, Matth.
 V, 16. I. Pet. III, 1. (3) Ut removeatur scandalum, I. Corinth. X, 32.
 II. Cor. VI, 3. Heb. XII, 15. (4) Ut benefaciendo os obturemus ad-
 versariis. I. Pet. II, 12. III, 16. Tit. II, 8. B. Hutterus in explicat. ar-
 tic. 4. Form. Cont. rationem præterea vult haberi Angelorum, bono-
 rum quidem, ne propellantur, & in fugam conjiciantur vigiles & tu-
 stodes nostri, perpetuâ visione DEI læti, Matth. XVIII, 20. Læti quo-
 que

que seriâ peccatorum resipiscentiâ, Luc. XV, 10. Vnde Bernhardus, Reverentiam exhibe Angelo tuo, in omni loco, non ausus illo præsente facere, quod me præsente non auderes: Malorum autem, ne in peccata cæco impetu dessumantes, illorum Tyrannidi pectora aperiamus, & posteriora reddantur deteriora prioribus. Matth. XII, 25. At instant: Q. Necessarium est homini salvando, quatenus salvando, id necessarium est ad salutem. O. B. necessaria sunt homini salvando, quatenus salvando. E. Resp. per Dist. inter particulam restrictivam quatenus, sumptam modò Ipecificativè, modò reduplicativè. Valet Major, si accipiatur sensu posteriori. At ita veritati consonare Minorem, non citius probatum dabitur, quàm evincatur verissima propriissimaq; causalitas Operum Bonorum, quâ in salutem influant. Talem enim reduplicativè acceptam particulam quatenus designare, neminem clam est, qui vel à limine Logicam salutavit.

RESP. V.

§. XLVIII. Necessaria quidem ad salutem fides est, QUÆ per charitatem operatur, non autem QUA per charitatem operatur. Agmen Objectionum illa claudit: Fides, quæ per charitatem operatur, est necessaria ad salutem. Gal. V. Fides, quæ per charitatem operatur, est observatio mandatorum divinorum. E. observatio mandatorum divinorum est necessaria ad salutem. Cujus Minor apertissimam spirat hæresin Arminianam & Photinianam; atque Legem cum Evangelio in unum chaos conjicit, vid. Catech. Racov. cap. 9. p. 281. Socinus part. 3. cap. 2. de Servatore & part. 4. c. 11. Smaltzius Disput. 7. contra Frantzius pag. 250. Remonstrant. Confess. cap. 11. Apol. Conf. pag. 110. Vorstius Catal. errorum Sibrandi pag. 62. Velsing de Officio Hominis Christ. fol. B. Scriptura enim fidem justificantem & salvantem, quâ talem, operibus moraliter bonis, seu observationi mandatorum divinorum, passim contradistinguit, imò è diametro opponit Eph. II, 6. Tit. III, 4. II. Tim. I. Rom. IV, 5. cap. XI, 6. Gal. III. Phil. III. Instantia: Quicquid cum fide salvificâ individuo nexu est conjunctum, id ipsum simul ad salutem est necessarium. Caritas cum fide salvificâ individuo nexu est conjuncta. E. Coincidit cum argumento Papistico: Quæcunque à fide justificante sunt inseparabilia, ea simul justificant. O. B. à fide justificante sunt inseparabilia. E. Partitio laborat falsitate Majoris. Aliud enim rerum duarum pluriumq; coëxi-

coexistentia, aliud cooperatio, seu participatio de eodem actu formali.
Sicuti perpetuus ουνδεσμος connectit, in corpore vivo, facultatem nu-
tricem cum accretrice: In animali, sensitivam cum locomotivâ: in
homine, intellectualem cum voluntate; neque tamen necessaria est ad
ἐπιπέδου exercendam, obeundumq; officium vel virtutis nutricis, ac-
cretrix, vel sensitivæ locomotivæ, vel intellectualis, voluntas. Sophis-
tæ denique, de quo triumphum insignem sibi sponderunt Helm-
stadiensis: Necessè est, ut fidem vivam habeas, habere Bona Ope-
ra. Necessè est, ut salutem adipiscaris, habere fidem vivam. Ergo
necessè est, ut salutem adipiscaris, habere Bona Opera: *Analysin &*
confutationem plenam, solidamq; & accuratam invenies in Appendice
à plur. Reverendo Dn. Vice-Superintendente: B. Parentis.

Dn. D. Bartholomæi Batti lib. 3. de Justific. c. 30.

adjecta p. 902. & seqq.

SOLI DEO GLORIA.



Doctrinâ & moribus Excultissimo
Viro-Juveni,

DN. GREGORIO FROBESIO,
S. Theol. & Philos. cultori strenuo, contra ne-
cessitatem Operum ad salutem, publicè
disputanti.

Quenam operû ratio, num perniciofa salutis,
Vel fini huic patrarier' necesse sit,
Disferis egregiè, labyrinthi incōmoda monstrans,
Scitasq; semet extricandi regulas.
Nec verò, mala quòd mereantur facta gehennâ,
Salvandi ob id bonis adest necessitas.

E

Non

*Non generant effecta etenim contraria cause
Contraria, nec hic locus reciprocis.
Quid? quod divinis scriptis hac forma loquendi
Ecclesiasticis q̄ prorsus dissonet?
Æterni in verbo vox est imitanda Parentis,
Nec matris est spernenda vox Ecclesie.
Qui sequius sentit, tenet hunc prurigo novandi,
Hunc Orthodoxe tu memento lingvere.
Id thesibus firmas doctis, dilecte Frobesi,
Paratus has peracriter defendere.
Adspiret cœptis supremi Numinis Aura,
Ne non beatum sortiantur exitum!*

Faustæ acclamationis ergò scr.

Johannes Michaëlis D.

h. t. Acad. Rector.

~~~~~  
**P***ermultum sanè profunt bona facta piorum,  
Ambitio meriti si procul omnis abest.  
Sin minus Icarias referunt præconia pennas  
Lingventes phæbi lumine Dedaliden.  
Hoc Tu, Frobesi, pugnans opus exprimis ipse,  
Quod tibi conducet, cum reprobata fugas.*

Amici affectus contest: causa

scr.

Abraham Battus D.

Ad



Ad Politic. Dn. Resp.

**N**on paucos videas Operum jactare Bonorum  
Thesaurum, facto prosequierq; parum.  
Commatis istius cum non sis, Docte Frobösi,  
Te vitæ ratio tota loquatur, a ves.  
Cuncta Novatorum sed quando sophismata solvis,  
Quantas mentis opes pandis & Ingenii!  
Conserbet tales animi mentisq; sagacis  
Dotes, quæ infudit Gratia larga DEI.  
Sic minimè è multis Unum Te cana per Orbis  
Climata Theologum Fama deinde veobet.

PRÆSES.

~~~~~  
Dum Cathedram scandis nec non Bona Facta
loquendo
Sanctius, ac studio fervidiorè colis.
Adsit JOVA precor cœptis, Patruelis amate,
Concedat Musis & bona Fata tuis.

Ita Patrueli suo dilectissimo, contra
Necessitatem Bonorum ad salu-
tem, publicè disputanti, gratulari
debuic.

Michael Froböse, S. S.
Theol. Studios.






Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz








B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



18

THEOLOGICA,
RA
TATEM
OPERUM
ITEM,
HISMATICIS
TA,
NTE GRATIA,
cultatis Theologicæ,
eranorum,
ID E
E LAGO,
idem D.
O SUBJECTA
ROBOSIO,
Pomer:
tii horis matutinis,
C. LIX.
VALDIÆ
ri Acad. Typographi.

